

reitoris altaris et secundarii post mortem dicti domini Nycolai una cum singulis iuribus et consuetudinibus nostris in bonis et villis praescriptis ab olim habitis, supremum etiam nostrum iudicium nobis et nostris posteris reservamus. Demum volumus, quod utrique rectores altaris principalis et secundarius habitis redditibus deputatis ad praedicta beneficia personaliter resideant et infra annum sacerdotio coniungantur. Ut igitur omnia et singula praescripta nostrae foundationis donationis et appropriationis necnon institutionis et quaelibet supra scripta robur obtineant perpetuum, praesentia nostrorum sigillorum appensionibus sunt munita praesentibus nobilibus Hermano comite de Bychlinge domino ibidem, Frederecho de Schonburch domino in Gluchaw, Alberto burggravio de Lysnig domino in Rochsperg, Heynrico Rutheno de Plawen domino in Greucz h ac strenuis scilicet Kristano et Theoderycho de Wyczlewe, Nycolao de Keukericz, Theodericho de Honzsperch, Cunrado de Wirczburgh, Petro de Schonberch militibus et testibus pluribusque ceteris fide dignis. Datum et actum Dresden anno domini M^o. CCC^o. LXXI^o. sabbato ante dominicam Reminiscere, quod sabbatum fuerat prima dies Martii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Dresden mit den Siegeln der Markgrafen an Schnüren von rother und grüner Seide.

No. 72. 1371. 31. Mai.

B. Conrad von Meissen bestätigt die Stiftung und Ausstattung des Marien- und Maternaltars in der Nicolaikirche durch die Markgrafen Friedrich, Balthasar und Wilhelm (No. 71) und erlässt statutarische Bestimmungen über die Verpflichtungen der beiden Altaristen.

In nomine domini amen. Universis Cristi fidelibus praesentes litteras inspecturis nos Conradus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Misnensis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Attendentes quod ex debita nostri officii sollicitudine cultum divinum non diminuere sed augmentare teneamur decensque fore, ut iustis petentium desideriis favorabilem quantum possumus exhibeamus affectum, volentes in hoc preces inclitorum principum dominorum Friderici, Balthazar et Wilhelmi marchionum terrae Misnensis exaudire ac eorum devotionem per amplius erga ecclesias, viros ecclesiasticos et in divino cultu ecclesiarumque structuris ac aedificiis pullulare cupientes, qui principes pia devotione moti in ecclesia sancti Nicolai in opido Dresden unum altare in honorem dei ac sanctissimae eius genitricis Mariae beatique Materni construere et consecrare procuraverunt, quod certis annuis redditibus ut moris est dotaverunt ac duos altaristas seu rectores altaris praedicti principalem et secundarium ordinandos esse voluerunt. Cuius altaris constructuram dotationem rectorum ordinationem ac omnimodam, ut praedictorum dominorum . . . marchionum litteris desuper anno praesenti die prima mensis Martii confectis claret, dispositionem de consensu et voluntate nostri capituli ac honorabilis viri domini Ramfoldi de Polenczk reitoris ecclesiae parochialis in Dresden tenore praesentium confirmamus ratificamus approbamus et sub conditionibus infra scriptis per modum statuti statuendo ordinamus, volumus et sub bono obedientiae districte praecipimus et mandamus, ut altaristae seu